



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

Ps. 20. *Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia mea.*

Idem aliis verbis repetit, ut affectum suum, & gratum animum erga tantum benefactorem ostendat. Hâc voce, *Adjutor meus*, hebraicè *fortitudo mea*, laudatur potentia Dei, & significatur adjutor robustus, & potentissimus. Hâc voce, *Susceptor meus*, laudatur bonitas Dei, quæ sub alas suas protegendos suscipit electos. Hâc voce, *Deus meus*, significatur summum bonum nostrum, ac finis ultimus omnium desideriorum. Hâc voce, *Misericordia mea*, significantur in compendio omnia beneficia Dei, quibus ad summum bonum pervenimus.

PSALMUS LIX.

Titulus, & Argumentum: *In finem pro his qui immutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi Davidi in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriae, & Sobal, & convertit Joab, & percussit Idumeam in valle Salinarum duodecim millia.*

Occasio scribendi hunc Psalmum fuit ea victoria, quæ narratur in titulo, & fusius L. 2. Reg. 8. & 10. & 1. Paralip. 18. Occasione hujus victoriae canit Propheta præteritas afflictiones

nes

nes suas, & totius populi, & presentem, ac futuram felicitatem. Quae omnia possunt etiam applicari Ecclesiae, quae post multas persecutiones mirè coepit dilatari, sceptro suo subjiciendo Imperia, ac Regna.

ψ. 1. Deus repulisti nos, & destruxisti nos: iratus es, & misertus es nobis.

Incipit narrare praeteritas afflictiones populi Israelitici. Deus repulisti nos à paternâ protectione, permittens nos opprimi, & vexari à Philistæis, Idumæis &c. Peccatis nostris te ad iram provocavimus: sed paulò post misertus es, nos per gratiam ad pœnitentiam revocando; & post hanc liberando à captivitate, & persecutione. Etiam S. Cyprianus primas Ecclesiae persecutiones tribuit peccatis Christianorum. Misertus est Deus Ecclesiae, armando Martyres insigni dono fortitudinis, ut indè major esset gloria, quàm depressio & vastatio ob rapinas bonorum, & templorum.

ψ. 2. Commovisti terram, & conturbasti eam, sana contritiones ejus, quia commota est.

Ecce magnitudinem persecutionis. Non unum, & alterum populum, sed totam terram promissionis commovisti. Sic sæpe Christianæ persecutiones erant universales contra Ecclesiam toto orbe diffusam: *Commovisti*, hebraicè, vulnerasti eam, multis Ecclesiae membris amputatis:

tatis : indè conturbasti eam : nam magna turbatio erat , dum membra principalia, Episcopi, & Doctores trucidabantur. Tu Deus, qui ut medicus Ecclesiam ferro, aut igne vexasti, sana etiam vulnera : nam bonâ commotione mota est, quia indè conversa est ad pœnitentiam, & ad viam mandatorum alacriùs currendam.

ψ. 3. *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.*

Fecisti, ut populus tuus experiretur duras persecutiones ; sed hoc modo fecisti, ut rediremus ad cor, & biberemus calicem amarum, sed salubrem sanctæ compunctionis.

ψ. 4. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus.*

Per illa omnia dura, quibus iusti hîc vexantur, Deus signum dat electis suis, *metuentibus eum*, ut fugiant à facie arcûs, qui sagittas lethiferas jaculabitur in omnes impios, nempe in die iudicii. Tribulationes, quibus nunc purgantur electi à noxis levibus, signa sunt gravissimarum pœnarum, quas luent impii post hanc vitam.

ψ. 5. *Ut liberentur dilecti tui, salvum fac dextera tua, & exaudi me.*

Conclusio orationis. Ut ergo liberentur dilecti tui à diuturnis jam persecutionibus, & angu-

angustiis, *salvum fac dexterâ tuâ me Regem populi tui, & exaudi me pro universo populo deprecantem.*

¶ 6. *Deus locutus est in sancto suo : labor, & partibor Sichimam, & convallera tabernaculorum metibor.*

¶ 7. *Meus est Galaad, & meus est Manasses : & Ephraim fortitudo capitis mei.*

Incipit ostendere exauditæ orationis fructum, nempe victoriam de hostibus, & dilatationem imperii. Deus per me sanctum Prophetam suum prædicit, quæ futura erant, & jam magnâ ex parte completa sunt. *Labor* tanquam victor imperio acquisito, & dilatato : ac primùm *Sichimam*, h. e. Samariam in suas partes dividam, numerabo urbes, oppida, pagos, constituam in eis iudices, & Magistratus. Idem faciam in regione proximâ, quæ dicitur *Convallis tabernaculorum*, vide Gen. 33. Item mea est regio, quæ dicitur *Galaad* à viro sic nominato ; & quæ dicitur *Manasses* à Manasse filio Joseph ; & quæ dicitur *Ephraim* ab altero filio Joseph, in quâ regione sunt viri fortes, præcipuum robur, & defensio vitæ meæ, & Regni mei.

¶ 8. *Juda Rex meus : Moab olla spei meæ.*

Mea quoque est Regio, quæ dicitur *Tribus Juda*, quæ principatum gerit in populo meo, vel ex quâ prodierunt Principes, patres mei, & prodibunt

dibunt principes filii mei. Provincia Moab mihi jam subjecta, est mihi instar ollæ plenæ carnis, in cujus abundantia, & ubertate sperare possum.

ψ. 9. *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt,*

Titulus refert jam unam victoriam contra Idumæos, cæsis 12. millibus; hîc dicit: pergam, ad debellandam, & pedibus conculcandam totam Idumæam: jam enim Philistæos, qui alienigenæ sunt, utpote nullam habentes affinitatem cum Israelitis, debellavi.

ψ. 10. *Quis me deducet in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam.*

Quia hæc sola gens restabat omnino subjicienda, quæ habitabat in locis munitissimis, ideo dicit: quo Duce ingredi poterò victor in Regiam Idumææ, quæ est civitas valde munita? Hæc omnia mirè quadrant in Christum: Regnum Juda est ipsa Ecclesia fidelium. Sichimitæ, seu Samaritani sunt Hæretici, qui magno cum labore, sed tandem subjicientur omnes. Ephraim, & Manassè sunt Schismatici: nam Jeroboam separavit eos à Jerosolymâ, & templo Domini, erigens aliud altare; sed & hi tempore suo subjicientur. Moabitæ, & Philistæi sunt Gentiles, qui & ipsi ab Ecclesiâ superabuntur. Demum Idumæi sunt Judæi, obstinatissimi ad credendum,

D

dum,

dum, in fine tamen mundi ad Christum convertendi.

ψ. 11. *Nōne tu Deus, qui repulisti nos? & non egredieris Deus in virtutibus nostris.*

Respondet interrogationi factæ. Tu solus Deus deducere potes nos in civitatem munitissimam Idumææ: sicut enim, te repellente, & deserente, vincebamus: ita te solo præsentem, & juvante vincemus, non fisi viribus exercituum nostrorum, sed tuâ solius omnipotentissimâ virtute

ψ. 12. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.*

Ergo tu, in quo solo confidimus, da auxilium, quo de omni tribulatione, & angustia liberemur, quia vana est salus, quæ ab hominibus exspectari potest.

ψ. 13. *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

In Dei auxilio confisi, fortiter agemus: & ipse erit, qui ut principalis author per instrumenta manuum nostrarum profligabit omnes, qui nos tribulant. Vel maximè in solo Deo fidendum est, dum Ecclesia pugnat contra hæreticos, schismaticos, Ethnicos, Judæos, & contra spiritualia nequitia in caelestibus, Eph. 6.

PSALMUS LX.

Titulus: *In finem, in hymnis David.*

Argumentum est *Oratio hominis justî, sive*